



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Incarnatio Mystica Sive Christiformitas

Roger, Nicolaus

[Erscheinungsort nicht ermittelt], Anno MDCLXXXIV.

Cap. XII. Iesvs amabilis in figuris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37940

190 CHRISTIFORMITAS,
riora quæ speramus.) Gallina denique scorpis devorat & in ovum concoquit, & Jesus nobis faciet cum tentatione proventum, adeo ut si exurgat adversum nos prælium, in hoc sperare debeamus. O Domine Jesu, custodi me ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum protege me; & ab æstu carnalium desideriorum, & à facie impiorum qui me affixerunt. (d) Bona & desiderabilis umbra sub alis Jesu, ubi tutum est fugientibus refugium, gratum fessis refrigerium. Miserere mei Domine Jesu miserere mei, quoniam in te confidit anima mea, & in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.

C A P U T XII.

IESVS Amabilis in figuris.

Aron sacerdotio, & mirificâ virgâ crucis.

Abel innocentia, Sacrificio, martyrio

(d) Bern. Ser. 2. in Missus.

rio sanguinis non vindictam, sed veniam loquentis, à fratribus, Judæis, profugis fusi.

Abiathar, id est. pater residui electorum, pater funiculi hæreditatis æternæ, pater contemplationis, intimus Davidi.

Abimelech, i. Rex Regum qui arboris crucis ramum impositum in humeros ferens, dicensque ad socios, *quod me videtis facere, citò facite*, itaque turrim Sichem, corda, incendit, & expugnavit.

Abram pater sublimis, *Abraham* i. pater multitudinis credentium, non filium, sed seipsum immolans, arietem humanitatis in vepribus hærentem caput, in quo benedictæ sunt gentes, quia obedivit.

Adam cælestis, & novus; de terra Virgine, non maledictâ: sine patre, & matre natus, rectus, è cujus dormientis in cruce latere mater viventium Ecclesia ædificata est.

Asem

Asem filius Jacob cujus panis pinguis, in Eucharistia præbet delicias Regibus, Regali sacerdotio, genti electæ Christianorum.

Assuerus, id est, Rex, Princeps, caput populi convivio Eucharistiæ, Estheris Ecclesiæ amore.

Benjamin filius dexteræ Patris, sedens à dextris ejus, & *Benoni* filius doloris matris ad crucem stantis, delictæ patris, obses fratrum in Ægypto hujus mundi non expetitus tantum, sed & relictus pro alimonia in Eucharistia, in sacco corporis sui, calicem passionis habens & frumentum, simul & pretium nostrum.

Banaias, id est, filius Domini Leonem Tartareum in spelunca Bethleem hyeme occidens.

Daniel, sapientia, judicio, protectione innocentia in lacu leonum, liber in deserto, in sepulchro, cui Angeli ministrarunt esurienti.

David, id est, dilectus filius Jesse, id est

est entis, Dei parvulus humilitate inter fratres, electus ad Regnum occidit Leones & Urfos, Goliath Sathanam quinque lapidibus, nempe plagis: persecutionem Saulis, Absolonis, Philistinorum tulit, ferebatur manibus suis in cœna, stultus in Regia Achis, Herodis reputatus, mansuetissimus pepercit inimicis, & pro eis rogavit.

Eliacin, id est, Deus resurrectionis, Deus ultionum, quasi pater domûs Juda, Ecclesiæ habens clavem, domus David super humerum ejus: aperit, & non est qui claudat: claudit, & non est qui aperiat: denique est in solium gloriæ domui Patris ejus.

Enos, id est, vir, cœpit invocare nomen Domini, docendo orare, & Religiosi cultûs author.

Gedeon, id est, contere[n]s corda, tubis prædicationis, & confractione fistilium corporis sui, & Martyrum, lampadem fidei accendit, & Jericon-

tema

tem peccatorum ac idolorum ever-
tit : cuius gladius panis subcineritius
Eucharistia , quâ vincimus hostes no-
stros.

Henoc , id est, dedicatus in libro sa-
pientiæ nomine Iusti, ab impijs perse-
cutionem & calumnias passus , trans-
latus.

Helias, id est, Deus fortis. Zelo ze-
latus pro Domino Deo exercituum:
linguâ cœlos claudens & aperiens:
missus ad Viduam, naturam nostram,
de inopia sua eam ditans oleo miseri-
cordiæ, destructor Balaam, raptus in
cœlum.

Iacob, id est, supplantator Sathanæ.
Primogenita tulit, pellitus, & simili-
tudinem habens Esau peccatoris. Ra-
chelem , id est, ovem animam erran-
tem, Ecclesiam. Pastor bonus diutur-
no labore sponsam promeruit profu-
gus à facie Esau, Herodis : contem-
plationi deditus vidit Angelos ascen-
dentes ac descendentes supra se , duo-
decim

decim Patriarchas Apostolos reliquit, quibus migrans benedixit: Electorum denique typus.

Iob, id est, vir dolorum, tentatus à dæmone, malè conjugatus, Christus quidem cum Synagoga, pauperrimus ex divite, ditissimus ex paupere, in sterquilinio crucis Deum benedicens, patientiæ miraculum, vexillum gloriæ Dei.

Jonas, projectus in mare tribulationum, exceptus in ventre ceti, mortis, dormiens in media tempestate quietus, egressus è ceto, è sepulchro per Resurrectionem, & prædicans pœnitentiam Ninivitis, mundo.

Ioseph, accrescens, dilectus Patri, qui fecit ei tunicam polymitam humanitatis, & Ecclesiæ: adoratus à Patre Iosepho, Matre Virgine, & fratribus Apostolis & nobis: missus fratres suos quærere, venditus à fratribus, damnatus innocens, è carcere eductus ad Ægypti, mundi gubernaculum, red:

I

reddens fratribus bonum pro malo.

Iosue, id est *JESUS* salvator. Amalecitarum & obesi eorum Regis Agag, carnalium, & Jerichontis, gentilitatis & vitiorum domitor, ductor populi per Jordanem Baptisimi in terram promissionis, Ecclesiam & gloriam.

Isaac Angelo prænuntiante ex matre sterili natus, parentum risus, per quem Abrahamus, Pater æternus posteritatis æquantis numero stellas cœli in electis, & pulverem terræ in reprobis, cum *Ismaële* filio ancillæ, cum *Judæis* & lege timoris & vitijs partem non habuit, & *Jacob* minori benedixit, Ecclesiæ, non *Esau* majori, Synagogæ; nupsit *Rebeccæ*, Ecclesiæ habenti duos in utero populos: electorum, & reproborum. Victimam tulit in montem lignum crucis, & humanitatis aries inter vepres spineæ coronæ hærens cornibus cæsus est.

Moyse evasione ex parvulorum cæde

de per filiam Pharaonis, Ægyptum, quò Christus fugit, officio mediatoris testamenti, Redemptoris mirifici ope Virgæ crucis per mare rubrum sanguinis sui & baptismi aquas Ecclesiam traduentis in desertum vitæ Evangelicæ, demerso Pharaone, persecutore Diabolo, jejunio quadraginta dierum, splendore vultûs in monte, legis novæ promulgatione, Æthiopiæ Ecclesiæ ex gentilibus conjugio, duodecim exploratorum Apostolorum missu in terram promissionis Ecclesiæ, & septuaginta judicum Discipulorum delectu mitissimus, & zelantissimus.

Melchisedech, id est, Rex justitiæ, & Rex Salem, id est, pacis, nec initium habens, nec finem, etiam Sacerdotis, Jesus enim Sacerdos in æternum, heri & hodie ipse, & in sæcula, sine genealogiâ paternâ in terris, maternâ in cœlis, panem & vinum obtulit in Eucharistia, ab Abrahamo decimas accepit

598 CHRISTIFORMITAS,
velut sacerdotij Aaronis, qui erat in
lumbis Abrahamæ, tributum ipse Sacer-
dotum Princeps eidem Abrahamæ, fide-
libus benedixit.

Noe, id est, requies nostra, ipse con-
solabitur nos, arcam Ecclesiæ condi-
dit, super aquas baptismi, in qua sa-
lus, vino amoris Ecclesiæ ut vineæ à
se plantatæ inebriatus, in cruce nuda-
tus, irrisus à filio Judæo, cujus filijs
maledixit.

Salomon, id est, pacificus, sapientissi-
mus, ditissimus, templi Ecclesiæ ex-
tructor magnificentissimus: idem qui
Salomon, id est, pacificus in exilio est:
Ecclesiastes, id est, concionator, erit
in judicio. *Idida*, id est, dilectus Do-
mini in Regno.

Samson, id est, Sol prænuntiatus ab
Angelo, novacula super eum non a-
scendit, Gentilium & alienigenarum
Ecclesiam Dalilam conjugem acce-
pit occiso de via leone Idololatriæ,
invenit dulcedinem laudis ubi fuerat
putor

putor blasphemix, & vulpeculas, Herodianos suis captiosis interrogationibus quasi caudis cepit, plures Philistæos, hostes salutis, moriens, quam vivens occidit, ænigma proposuit, generationem suam quis enarrabit?

Samuel, id est, positus manu Dei; votis matris, & synagogæ impetratus, in templo puer oblatus, & remanfit, Judex Reges creans & ungens, bonos ut Davidem, malos ut Saulem.

Hactenus figuras Christi animatas exposui: nunc inanimes pauculas lectissimasque propono.

Paradisus voluptatis, in quo scilicet quatuor fluvij, plagæ manuum ac pedum: fons verò in medio, plaga lateris. Arbor vitæ. Arca Noë. Arcus in nubibus, nempe crucifixus, pacificans. Rubus humanitatis ardens, ac unita divinitate incombustus, unde nomen suum Deus enuntiat. Virga Aaronis mirifica. Columna ignis. Agnus Paschalis. Petra deserti potum

præbens. Manna. Serpens exaltatus in deserto , in cruce similitudinem peccatorum principis gestans, à morfu serpentis seductoris aspicientes, id est, credentes sanat. Terramelle & lacte manans. Botrus in vecte crucis inter præeuntes Prophetas, & sequentes Apostolos, vel à præeunte Judæo tergumque obvertente, id est, reprobaro gestatus , & à sequente Gentili populo, ac fidei oculos in eum convertente. Arca fœderis continens tabulas legis novæ, manna, & virgam crucis. Gladius Gedeonis ex pane subcinericio. Scala Jacob in seffa Deo, sub seffa homine. Templum. Thronus. Ferculum Salomonis. Lapillus statuam Nabuchodonosoris , id est, Idololatriam & vitium evertens.

Atque ex his omnibus figuris sparsisque luminibus admirabilem simul & amabilem Christi formam facile quivis colliget meditando. Sic Opticorum industriâ ex dissectis disjectisque

que quasi temerè lineamentis pulcherrimas imagines in polyoptrico vitro, vel foramine collectas efflorescere cum admiratione cernimus.

CAPUT XIII.

IESVS amabilis in suis Nominibus.

ABIAD *Is. 9.* id est, pater aternitatis.

Admirabilis *Is. 69.* Advocatus noster *1 Io. 2.* Aditus ad patrem *Eph. 2.* Adonai, id est, firmamentum nostrum, Adadremmon *Zach. 12.* id est, scilicet prædestinatos ut grana malograna- tum in charitate ordinata continens, & coronans. Amicus, amor noster, *Prov. 18.* Angelus faciei, *Isa. 64.* Angelus magni consilij, *Isa. 9.* Angelus testamenti, *Mal. 3.* Antiquus dierum, *Dan. 7.* Agnus Dei, quippe innocens victima, mansuetus, totus utilis. Alpha, i. principium, *Apoc. 1.* Apostolus confessionis nostræ, id est, Religionis, *Heb. 3.* Aqua vitæ nempè lavans, fœcundans, refrigerans, restinguens, tra-